

Platone ipsemet hic reprehensor ultimo hoc libro capite 14:⁵⁸
*Oportet autem quando quid totum tractat aliquis, dividere genus in
 indivisibilia specie prima, veluti numerum in ternarium et binarium
 atque ita illorum definitiones tentare sumere. Et mox:*⁵⁹ [321] *Post hoc*
 5 *vero sumentem quid genus, veluti aliquid, quantorum, vel qualium*
propriis passiones speculari per communia prima. Platonico prorsus
praecepto atque usu et id ipsum tentare sumere praecipit, quod
loco superiore carpserat, quia sumeret. Et initio capituli non ali-
*ter venari definitionem docet, quam ista λήψει, sumptione:*⁶⁰ *Talia*
 10 *sane sumenda usque quo tot assumpta sint primo.*

Et capite 16. iubet:⁶¹ *Ad habenda vero problemata seligere oportet
 sectiones et divisiones, ita autem seligere supponentem genus commu-*
ne omnium. Nec solum eadem praecepta dat, sed iisdem etiam
vocibus utitur: ληπτέον, ληφθέντων assumendum, assumptis, et
 15 *quod maius est, causae cognitionem haberi per divisionem ipse*
*mox subnectit:*⁶² *Clarum enim quod habebimus iam dicere, propter*
quid insunt sequentia iis, quae sub communi sunt.

Causam autem cum effectu nectere iam scientia est. Per di-
 visionem ergo Aristotelica sententia scientiam habemus, contra-
 20 ria priori sententiae, per quam divisionem uti asylogisticam, uti
 quae peteret principium, quae assumeret, non probaret, improba-
 verat nunc autem: ὑπὸ αὐτῆς τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ πράγματος
 ἀγόμενος, *ab ipsa veritate et re ipsa coactus. Uti ipse de antiquis*
quibusdam dixit, fatetur divisionem non aliter ac Plato ad defini-

⁵⁸ χορῆ δ' ὅταν ὅλον τι πραγματεύηται τις, διελεῖν τὸ γένος εἰς τὰ
 ἄτομα τῷ εἶδει τὰ πρῶτα, οἷον ἀριθμὸν εἰς τριάδα καὶ δυάδα, εἰθ' οὕτως
 ἐκείνων ὀρισμοὺς πειρᾶσθαι λαμβάνει. [ARIST. A Po. 96b.15 – 18]

⁵⁹ μετὰ δὲ τοῦτο λαβόντα [λαμβάνοντα] τί τὸ γένος, οἷον πότερον
 τῶν ποσῶν ἢ τῶν ποιῶν, τὰ ἴδια πάθη θεωρεῖν διὰ τῶν κοινῶν πρῶτων.
 [ARIST. A Po. 96b.19 – 21]

⁶⁰ τὰ δὴ τοιαῦτα ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῆ
 πρῶτον. [ARIST. A Po. 96a.32 – 33]

⁶¹ πρὸς δὲ {τὸ} ἔχειν τὰ προβλήματα ἐκλέγειν δεῖ τὰς τε ἀνατομὰς
 καὶ τὰς διαιρέσεις, οὕτω δ' ἐκλέγειν, ὑποθέμενον [ὑποτιθέμενον] τὸ
 γένος τὸ κοινὸν ἀπάντων. [ARIST. A Po.98a.1 – 3]

⁶² δηλὸν γὰρ ὅτι ἕξομεν ἤδη λέγειν τὸ διὰ τί ὑπάρχει τὰ ἐπόμενα
 τοῖς ὑπὸ τὸ κοινόν. [ARIST. A Po. 98a.7 – 8]